



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Veritates Æternæ Ex Prima Hebdomade Asceseos  
Jgnatianaè Petitæ**

**Vogel, Matthäus**

**Constantiæ, 1731**

Circa Præceptum IV.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60667)

aliquod præceptum? & an intemperantiùs comederit vel biberit cum damno sanitatis notabili, & an sponte se inebriaverit? 13. An violaverit Ecclesiam aliquo peccato carnis vel effusione sanguinis? 14. An incurrerit aliquam excommunicationem, vel excommunicatus particeps fuerit alicujus Sacramenti, aut interfuerit officio divino? 15. An censuram aliquam Ecclesiasticam incurrerit, aut eâ irretitus contrarium quid ac prohibitum admiserit: quod & de irregularitate intelligendum? 16. An contumeliâ vel irreverentiâ aliquâ affecerit imagines, Reliquias sacras, aut res alias, ut Sacramenta & Ecclesiæ ceremonias? 17. An obligatus ad recitandum Breviarium aliquid aut omiserit aut distractus notabiliter oraverit? 18. An ex pigritia vel tædio spiritualium rerum bonum aliquod opus, ad quod tenebatur, omiserit?

#### Circa Præceptum IV.

1. An parvo honore affecerit Patrem & Matrem? 2. An offenderit vel etiam contempserit illos facto, verbo contumelioso aut etiam detractorio? 3. An maledixerit Patri vel Matri, vel in eorum absentia eos execratus sit, & dedecore affecerit? 4. An parentes vel affines erubuerit, eosque contempserit, quia pauperes? 5. An Parentes ad iracundiam provocaverit, vel contristaverit? 6. An eos odio habuerit, temerè de illis judicaverit, vel suspicatus sit? an inimicitiam & rancorem adversus eos retinuerit & quam

quamdiu? 7. An invidus fuerit in Parentes & Superiores & in fratres &c. 8. An obediverit Parentibus vel Superioribus in re iusta, aut tali, quæ cedere poterat ad damnum domûs, communitatis, aut animæ? 9. An Parentibus in necessitate existentibus subvenerit? 10. An deliberate optaverit eorum aliquod damnum grave, vel etiam mortem ad obtinendam hæreditatem? 11. An executus sit testamentum defunctorum? 12. An ex nimio Parentum amore parùm curaverit offendere DEum? 13. An detraxerit Superioribus Ecclesiasticis, aut sæcularibus, aut Religiosis, cum damno secuto? 14. An subvenit pauperibus? an nimis erga hos fuerit durus verbo aut facto? 15. An Parentes maledixerint filiis; eos rite educaverint, instruxerint, castigaverint errantes &c. 16. An servi & subditi obediverint Dominis suis in re iusta, aut an in iniqua? 17. An Domini curam gesserint pro subditis, Patres familias pro domesticis &c.

### Circa Præceptum V.

1. An aliquem habuerit odio cum desiderio se vindicandi, & quamdiu in eo perstiterit? 2. An optaverit alicui mortem vel aliud malum grave? 3. An irâ commotus fuerit in aliquem cum intentione ei nocendi, vel vindictam gravem sumendi? 4. An homicidium perpetraverit opere aut voluntate quocunque modo? 5. An causam dederit abortûs vel infanticidii? 6. An litigando cum aliis verberaverit, vulneraveritve